

**<Lib. I, Q. 4, A. 3: Utrum divinae substantiae ex natura rei formaliter correspondeat pluralitas attributalium rationum>**

1. Tertius articulus erat iste: utrum divinae substantiae ex natura rei formaliter correspondeat pluralitas attributalium rationum. Pro cuius articuli declaratione est advertendum quod circa difficultatem propositam varie fuerunt imaginati doctores. Ad praesens tamen sufficit duos famosiores et moderniores modos imaginandi cum suis coloribus suis recitare. Quorum primus est Doctoris Subtilis et suorum sequacium, utpote Francisci de Marchia, Francisci de Mayronis et 10 Landulphi doctorum huius venerabilis universitatis. Secundus modus: fratris Guillielmi Ochan et suorum sequachium, utpote Adae, Gregorii et plurium aliorum.

**<Opiniones Scoti et suorum sequachium. Art. 1: Quid simplicitas?>**

- 15 2. Tenetur igitur Doctor Subtilis quod attributa sive perfectiones attributales distinguuntur intrinsece et ex natura rei. Pro cuius opinionis declaratione quatuor sunt per ordinem declaranda, videlicet quid sit simplicitas, quid formalitas, quid modus intrinsecus, et quid perfectio attributalis. Ex quibus patebit qualis sit imaginatio Doctoris  
20 Subtilis. Quantum ad primum pono duas conclusiones quarum prima est haec: summa simplicitatis condicio non excludit pluralitatis omnimodam rationem. Haec conclusio sic probatur: quodlibet principium spirativum Spiritus Sancti est summa simplicitas; sed aliqua dualitas est principium spirativum Spiritus Sancti; ergo aliqua  
25 dualitas est summa simplicitas. Consequentia patet. Et maior apparet, quoniam tale est divina essentia. Et minor est nota de Patre et Filio qui sunt suppositalis dualitas. Et tunc ultra: aliqua dualitas est summa simplicitas, ergo aliqua pluralitas est summa simplicitas; et per consequens conclusio vera.  
30 3. Praeterea, aliqua distinctio est summa simplicitas; sed omnis distinctio est aliqua pluralitas; ergo aliqua pluralitas est summa simplicitas. Consequentia patet in quarto tertiae. Et maior apparet, quoniam duo distincta sunt divina essentia, ergo propositum; et maior est manifesta, quare propositum.  
35 4. Praeterea, quaelibet increata substantia est summa simplicitas; sed Trinitas est increata substantia; ergo Trinitas est summa simplicitas. Consequentia et maior et minor patent. Et tunc sequitur: Trinitas est summa simplicitas, ergo pluralitas est summa simplicitas. Ex ista conclusione sequitur falsitas dicentium quod simplicitas est  
40 proprietas excludens omnem distinctionem.  
5. Pro quo est advertendum secundum magistrum Franciscum de Mayronis quod quatuor sunt pluralitatis habitudines essentialiter

C 76ra

ordinatae: prima est distinctio, secunda unio, tertia compositio et quarta resolutio, quoniam resolutio praesupponit compositionem, compositio unionem, unio distinctionem. Istae tres propositiones 45 patent. Et primo prima, videlicet quod resolutio praesupponat compositionem et non e contra, quoniam omne quod resolvitur, resolvitur in ea ex quibus componitur, ut patet per Physicum in pluribus locis, et per consequens propositum. Quod vero non e contra apparet de corporibus caelestibus quibus correspondet compositio et non resolutio secundum naturam. – Secunda propositio patet, videlicet quod compositio praesupponit unionem et non e contra, quoniam quae sunt ab invicem separata non faciunt compositionem; ergo et e converso patet, quoniam natura humana et divina natura sunt unitae et tamen ex eis non resultat compositum, quia sic divina essentia esset 50 partialis entitas constituti; quare propositum. – Tertia propositio similiter patet, videlicet quod unio praesupponit distinctionem; patet quia nihil sibi ipsi unitur; ergo propositum. Quod non e contra patet in contrariis quae sunt distincta et non unita.

6. Ad propositum igitur arguitur sic: quodlibet prius sine 60 contradictione potest esse sine suo posteriori; sed unio est prior compositione; ergo stat aliqua esse unum sine quacumque compositione, et per consequens stat aliquid esse simplex in quo plures rationes unitivae concurrunt.

### <Conclusio 2>

65

7. Secunda conclusio est haec: ratio compositionis et componibilis repugnat formaliter summae simplicitati. Haec conclusio sic probatur: si aliquid repugnat simplicitate: aut distinctio, aut unio, aut compositio, aut resolutio. Sed non distinctio vel unio ut prius apparuit; ergo compositio vel resolutio, quod est propositum.

70

8. Et confirmatur, quoniam simplicitas ex sua ratione videtur repugnare inaequalitati, potentialitati et diversitati. Sed constat quod C 76rb omnis compositio arguit ista tria, quoniam compositum est sua parte perfectius, et per consequens includit inaequalitatem; quare repugnat simplicitati. Similiter compositum includit materiam, et per consequens potentialitatem. Similiter componibile includit potentialitatem, et per consequens repugnat simplicitati. Similiter compositum includit naturas varias et per consequens diversitatem, et per consequens repugnat simplicitati. Ergo sequitur quod rationes huiusmodi sunt summae simplicitati realiter repugnantes. Ex quibus 75 80 appetit quod simplicitas est entis condicio excludens totaliter compositionis et componibilis rationem, et haec de primo.

### <Art. 2: Quid sit formalitas. Conclusio 1>

- 9.** Secundo videndum est quid sit formalitas. Pro quo declarando, iuxta imaginationem praedictorum doctorum, quinque pono conclusiones. Quarum prima sit ista: formalitas non est ratio condicionem alicuius formae consequens adaequate. Declaratur conclusionis intentio: quoniam aliquorum opinio fuit quod sicut materialitas a materia, ita formalitas a forma. Et per consequens sicut est una vel plures formae, ita una vel plures formalites. Unde apud istos plures formalites sive pluribus formis ponere erat contradictio manifesta et ideo apud eos formalitas consequebatur condicionem formae adaequate. Conclusio: nemo dicit contradictorium huius quod ex duobus declaratur. Primo, quia sicut essentiale ad essentiam, ita formale ad formam; sed cum unitate essentiae stat pluralitas rationum essentialium; ergo cum unitate formae stat pluralitas rationum formalium. Consequentia patet et maior, quoniam consimilis habitudo videtur essentialis ad essentiam et formalis ad formam. Et minor videtur inter theologos divulgata, quare propositum.
- 10.** Secundo patet, quia quoniam in una persona divina ponuntur plura personalia, utpote activa spiratio et filatio, et tamen ibi non dicuntur plures personae, ergo similiter stat in unica forma plura intelligi formalia, et per consequens non videtur necessarium quod formalitas sequatur adaequate formae condicionem.

105

## &lt;Conclusio 2&gt;

- 11.** Secunda conclusio est haec: formalitas non est tantum rei simplicis intrinseca condicio absoluta. Haec conclusio sic declaratur: quoniam sicut realitas generaliter respicit totum ambitum entis, sic et formalitas; sed realitas sic respicit totum ambitum entis quod est communis tam simplicibus quam compositis; ergo et formalitas similiter; et per consequens non est tantum rei simplicis condicio absoluta.

- 12.** Praeterea, ratio formalitatis non solum dicitur de realiter existentibus, sed etiam de non habentibus esse reale, et per consequens non est condicio solum rei simplicis. Consequentia patet et minor est manifesta, quoniam si nullus homo esset, non minus imaginatur formalitas eius. Ut patet, quoniam rosa non-<sup>143,121</sup> existente, adhuc habetur formalitas rosae; quare propositum.

C 76va

## &lt;Conclusio 3&gt;

- 13.** Tertia conclusio: formalitas sumpta communiter non est definitiva ratio rei. Haec conclusio apparet ex duobus. Primo, quia rationes praedicamentales dicuntur differre formaliter, et tamen nulla

---

<sup>143,121</sup> ratio] est add. sed concellavit signo crucis C

ipsarum est definibilis; ergo ratio formalitatis non videtur consistere in rationibus rerum definitivis.

**14.** Praeterea, quaelibet ratio transcendens est quaedam 125 formalitas, et nulla talis est definibilis, ergo propositum. Consequentia patet et minor similiter et maior, quoniam ratio bonitatis, entitatis et unitatis, cum non sint synonymae, videntur habere varias rationes; quare propositum.

**<Conclusio 4>**

130

**15.** Quarta conclusio: formalitas non est rei intrinseca condicio seu connotativa. Haec conclusio patet ex duobus. Primo, quoniam quaelibet extrinseca rei condicio potest non esse, ipsa re manente saltem per divinam potentiam; sed nihil quod est rei formale est huiusmodi; ergo propositum. Consequentia et maior patent. Minor 135 vero apparet ex communi sententia disputantium, nam impossibile est quod aliquid sit sine eo quod est de sua ratione formali; quare propositum.

**16.** Praeterea, quando aliquid est alicui extrinsecum, stat illud per divinam potentiam in esse conservari sine illo cuius est extrinsecum. Si ergo formalitas esset huiusmodi, staret esse formale alicuius existere et ipsum simpliciter non esse, quod apparet omnibus contradictio manifesta; quare propositum.

**<Conclusio 5>**

**17.** Quinta conclusio est haec: formalitas est quiditativa ratio in primo modo dicendi per se respiciens illud de quo veraciter praedicatur. Haec conclusio apparet, quoniam formalitas vel respicit rei intrinsecum, vel extrinsecum. Non extrinsecum, ut prius apparuit, ergo intrinsecum. Sed non rationem definitivam, ut prius apparuit; ergo aliquam rationem quiditativam. Sed quaelibet talis respicit illud de quo dicitur in primo modo dicendi per se; quare propositum. Ex quibus apparet quid nomine formalitatis intelligunt isti doctores.

C 76vb

**18.** Unde advertendum est quod quatuor sunt genera propositionum seu praedicationum secundum istos. Primum dicitur quiditativum, secundum denominativum, tertium identicum, et quartum essentiale. Et secundum hoc propositiones suscipiunt denominationes. Unde ista dicitur quiditativa ‘Deus est substantia’, et sic de sibi similibus, et per consequens formaliter. Ista vero denominativa ‘Deus est intelligens’; ista identica ‘Pater est essentia’, haec tantumdem essentialis ‘Pater est illud quod Filius’. Si ergo 155 quaeram: numquid formalitas esset realitas? Concederetur per identitatem, non tamen quiditative. Et ideo sicut stat unitas essentiae cum personarum pluralitate, sic secundum istos unitas realitatis cum pluralitate formalitatum. Et ideo quam ista est identica licet non 160

- 165 quiditativa relatio est divina essentia, sic hic formalitas est realitas, licet quandoque ita sit quod stat pluralitas realitatum cum unitate formalitatis, ut postea patebit; et hoc de secundo termino.

**<Art. 3: Quid sit modus intrinsecus. Conclusio 1>**

- 170 **19.** Nunc de tertio videndum est, videlicet quid sit modus intrinsecus, pro quo declarando duas pono conclusiones. Quarum prima sit ista modus intrinsecus non est rei formalitas seu perseitas primi modi. Haec conclusio sic probatur: quoniam nullum posterius est suum prius; sed modus intrinsecus rei est posterior ipsa re; ergo non videtur formaliter ipsa res. Cum igitur formalitas sit quiditas primi modi, sequitur quod est prius ipsa re. Si ergo ratione posterioritatis modus intrinsecus non sit ipsa res, sequitur quod a fortiori non est ipsa formalitas.

- 175 **20.** Praeterea, una ratio formalis est duobus modis communis, et per consequens ipsa non est modus. Consequentia patet, et antecedens appareat, quoniam ratio entis est communis modo finitatis et infinitatis; quare propositum.

- 180 **21.** Praeterea, secundum istos, infinitas est modus intrinsecus divinae substantiae et illa non est formalitas; ergo propositum. Consequentia patet et maior similiter. Sed minor declaratur, quoniam 185 omnis formalitas est quiditas seu perseitas primi modi; sed infinitas non est quiditas, quia ex sua ratione non habet determinatam rationem, sed est ratio determinandi aliud sicut intensio et remissio quae non variant quiditatem, utpote albedinem, sed dicunt diversos modos; quare etc.

190

**<Conclusio 2>**

- 195 **22.** Secunda conclusio est haec: modus intrinsecus est ille qui adveniens alicui de quo formalitas dicitur vel ab ipso discedens, non variat ipsius rationem formalem. Verbi gratia, signetur gratia exempli albedo. Tunc certum est quod aliquibus convenit secundum magis et minus. Nunc dato quod Sorti competenteret ut duo et postmodum ut unum, esto quod esset diversa participatio albedinis, non tamen esset variatio in illa ratione formalis, quoniam Sortes ita vere esset albus sicut prius, et ideo ibi est variatio modi et non formalitatis. Unde laiter exemplificando dico quod ratio entis est Deo et creature communis; 200 sed modi sunt diversi, quia creature competit finite, et Deo infinite. Et ideo si per imaginationem Deus per gradus perderet participationem entis, ita quod primo perderet decimum, secundo nonum, tertio octavum, et sic consequenter secundum viam istorum

C 77ra doctorum, ibi esset varietas| in modis et nullo modo in ratione formalis.  
Sic igitur apparet quid intelligunt per modum intrinsecum.

205

**23.** Pro quo melius intelligendo, advertendum est quod quatuor sunt modi intrinseci principales, quorum primus est quantitas virtualis, ut finitum et infinitum, intensem et remissum. Iste namque modi variant rerum realitates, sed nullatenus ipsorum formalitates. Nam coloreitas est formalitas albedinis, et quacumque variatione facta ex parte albedinis quoad eius realitatem secundum intensem et remissum, nihilominus aequae est secundo coloreitas sicut primo.

210

**24.** Secundus modus est actualis existentia. Verbi gratia, Sortes iam est et prius non fuit. Licet ergo sit variatio in actuali existentia Sortis, tamen ratio humanitatis, quae est quaedam formalitas, in nullo variari videtur, quia adhuc, ipso non existente, omnino invariabilis videtur ratio humanitatis, et sic de quibuscumque aliis.

215

**25.** Tertius modus est realitas. Verbi gratia, antequam realitas humanitatis erat, non minus Deo obiciebatur ratio humanitatis, quia ex hoc quod humanitas accepit esse reale, Deus non incepit cognoscere humanitatem. Et per consequens apparet quod quiditates creaturarum erant in Dei potentia obiectiva, quamvis nullam haberent realitatem. Adveniente igitur realitate, non videtur variatio ex parte formalitatis.

220

**26.** Quartus modus est haecitas sive haeceitas. Verbi gratia, signo individua eiusdem rationis, utputa Sortem et Platonem. Constat quod quamvis sit variatio in haecitate vel haeceitate Sortis, non tamen in humanitate, quia aequae ratio humanitatis praexistebat sicut nunc existit. Et ita per consequens apparet quomodo variatur modus sine variatione formalitatis. Dicitur igitur modus intrinsecus, non quod ipsa formalitas, sed quia necessario per ipsum formalitas ad esse existere determinatur, et ex hoc quod formalitates ex ratione propria nec sunt finitae nec infinitae. Ex quibus manifeste apparet qualiter uni realitati correspondent plures formalitates, et uni formalitati correspondent plures realitates. Verbi gratia, quoniam humanitas est quaedam formalitas et tamen ipsi correspondent multae haecitates seu haeceitates, quae sunt quaedam realitates, similiter humanitati, quae est quaedam realitas prout est Sortes vel certa res extra animam correspondet animalitas, corporeitas, substantialitas, quae sunt quaedam formalitates, quia quaelibet illarum est perseitas primi modi. Et per consequens apparet quod sicut uni realitati correspondent plures formalitates, ita uni formalitat[i] correspondent plures realitates modo iam declarato. Qui modus, si bene capit, ostendit rationem univocationis. Unde ratio entis, cum sit quaedam formalitas et ex se nec est finita nec infinita, est Deo et creature communis. Et cum sit una formaliter, ostendit quod de his de quibus dicitur, univoce

225

230

235

240

245

C 77rb formalitates, ita uni formalitat[i] correspondent plures realitates modo iam declarato. Qui modus, si bene capit, ostendit rationem univocationis. Unde ratio entis, cum sit quaedam formalitas et ex se nec est finita nec infinita, est Deo et creature communis. Et cum sit una formaliter, ostendit quod de his de quibus dicitur, univoce praedicatur; et hoc de tertio.

27. Nunc quarto videndum est quid isti doctores intelligunt per attributalem perfectionem. Pro quo est advertendum attributum(?) talis perfectio quatuor modis potest intelligi. Uno modo pro omni praedicato quod alicui rei convenit, et sic tam termini quiditativi quam respectivi dicerentur perfectiones attributales. Et iste modus non videtur proprius nec communiter infinitus. Secundo modo sumitur proprie pro omni modo exprimente rei perfectionem primariam sive secundariam, et isto modo aeternitas, necessitas et infinitas dicuntur 250 perfectiones attributales. Tertio modo sumitur propriissime pro omni rei perfectione secundaria et non quiditativa quae ex creaturis Deo attribuitur per viam remotionis. Et isto modo sapientia, caritas, bonitas, veritas dicuntur perfectiones attributales. Et iste est modus inter doctores communiter usitatus. Quarto modo sumitur appropriate, 255 et sic Patri attribuimus potentiam, Filio sapientiam, et Spiritui Sancto clementiam.

**<Art. 4: Quid sit perfectio attributalis>**

28. Dimittendo igitur duos primos modos et similiter quartum, accipiendo tertium modum qui est proprius, appareat mihi quod 260 secundum imaginationem istorum doctorum perfectio attributalis nihil aliud est quam perseitas secundi modi quod ... . . . . . Deo conveniens, aut convenit sibi per se aut per accidens communis tribus personis Deo conveniens aut convenit sibi per se aut per accidens; sed nulla ratio Deo competens aeternaliter competit sibi per accidens; ergo 265 quaelibet talis competit sibi per se. Cum igitur quaelibet perfectio attributalis sit huiusmodi, sequitur quod competit Deo per se. Et non primo modo, cum tales sint de Deo demonstrabiles; ergo secundo modo, et per consequens perfectio attributalis nihil aliud videtur quam perseitas secundi modi.

275 29. Pro quo intelligendo melius advertendum est quod in quiditatibus creaturarum sunt tria signa imaginanda. Primum est illud in quo eis convenient omnia quae de ipsis primo et per se verificantur, ut humanitas est humanitas. Secundum signum est in quo eis convenient ea quae de ipsis dicuntur secundo modo dicendi epr se, ut 270 humanitas est risibilitas. Tertium signum est in quo eis convenient ea praedicata per accidens, ut humanitas est colorata et sic de similibus.

C 77va

30. Applicando ergo ad propositum imaginatur quod omnia quiditativa competunt Deo in primo signo; denominativa vero quae sunt attributalia in secundo. Quia vero de ipso nihil per accidens 280 dicitur, quia hoc sonet imperfectionem, ideo ibi non datur tertium signum. Ex quo appetet quod perfectio attributalis est perfectio quae de Deo dicitur secundo modo dicendi per se. Et per hoc appetet differentia inter formalitatem et perfectionem attributalem, quoniam attributalis perfectio respicit denominativas perfectiones, formalitas

vero omnes quiditates tam in primo modo dicendi per se quam in secundo. Et ideo omnis attributalis perfectio est quaedam formalitas, sed non omnis formalitas est attributalis perfectio, quoniam sapientia est quaedam formalitas.

**31.** Aliter adhuc posset assignari distinctio formalitatis et attributalis perfectionis, secundum istos, ut formalitas sit perseitas primi modi, et attributalis perfectio sit perseitas secundi modi. Unde comparando unum attributum ad se ipsum sic esset formalitas, comparando vero ipsum ad Deum sic est attributalis perfectio; unde sic dicendo ‘Deus est substantia’ ista est formalis, et similiter ista ‘sapientia est sapientia’, ista in secundo modo ‘Deus est sapientia’. Ubi vero diceretur ‘sapientia est bonitas’, esset tantummodo vera per identitatem. Ex quibus apparet quod sicut cum unitate realitatis stat pluralitas formalitatum ex natura rei, ita cum unitate realitatis stat pluralitas attributalium rationum.

**<Unitas sumitur quadrupliciter. Conclusio 1>**

305

**32.** Descendo igitur ad propositum praemitto distinctionem de unitate quod est quadruplex: quaedam aggregationis, quaedam originis, quaedam compositionis, et quaedam indivisionis. Et secundum hoc sunt quatuor conclusiones. Quarum prima: quod inter attributales perfectiones non est unitas congregationis. Patet, quia sunt una natura. Similiter inter ipsas non est unitas originis, quia una perfectio attributalis non originatur ab alia. Similiter inter ipsas non est unitas compositionis, quia una perfectio est realiter alia. Est igitur inter ipsas unitas indivisionis realis, licet nullam habeant unitatem in suis rationibus formalibus; quapropter remanent formaliter ab invicem distincta.

310

**33.** Quae conclusio ex ipsorum praecipiis multipliciter demonstratur. Et primo sic: omnes productiones alterius rationis necessario praesupponunt principia productiva diversarum rationum; sed productio Verbi et productio Spiritus Sancti sunt productiones alterius rationis; ergo necessario praesupponunt principia productiva diversarum rationum.. Consequentia patet. Et maior probatur, quoniam productiones alterius rationis non possunt reduci ad unam productionem, cum sint primo diversae, et per consequens non possunt eidem formaliter convenire. Et minor apparet, quoniam generatio et spiratio sunt productiones diversarum rationum, quoniam

315

320

325

---

312 originatur] una *add. sed del.* C

una est per modum intellectus| et altera per modum voluntatis quae sunt alterius rationis, et per consequens inter ipsa est aliqua non-identitas ex natura rei. Et ita inter perfectiones attributales videtur 330 formalis distinctio, quare quaelibet illarum habet propriam formalem indivisionem. C 77vb

**<Conclusio 2>**

**34.** Praeterea, quidquid unum et idem formaliter est principium producendi plura supposita eiusdem naturae, ipsum non determinatur 335 ex se ad pluralitatem producendorum. Si ergo divina essentia, prout est intellectus et voluntas, est una et eadem formaliter et est principium producendi plura supposita in natura divina, sequitur quod ipsa non determinatur ex se ad certam pluralitatem producendorum. Ista consequentia patet, et consequens est falsum, ergo altera pars 340 antecedentis. Et non prima, ergo secunda, et per consequens divina essentia prout est intellectus, non est eadem prout est voluntas. Et ita inter ipsas est distinctio formalis ex natura rei. Sed assumptum probatur, quia per nullum productorum adaequatur virtus producentis, et per consequens qua ratione potest duo producere, eadem ratione 345 tria, et sic in infinitum. Ista consequentia probatur ex quo virtus activa habet similem proportionem supra unum productum sicut supra aliud, non videtur ratio status productionis magis in uno quam in alio, ut patet de igne et aliis agentibus; quare propositum.

**35.** Praeterea, de quibuscumque verificantur contradictoria, inter 350 ipsa necessario est aliqualis distinctio; sed de multis rationibus attributalibus verificantur contradictoria; ergo inter ipsas necessario est aliqualis distinctio, et non realis, ergo formalis. Consequentia et maior patent. Et minor declaratur, quoniam de intellectu et voluntate verificantur ista contradictoria: ‘esse principium elicivum 355 generationis ad intra’, ‘non esse principium elicivum generationis ad intra’, ‘producere naturaliter’, ‘non producere naturaliter’. Similiter de necessitate et infinitate verificantur contradictoria, quoniam esse relationem formaliter verificatur de necessitate, et tamen suum contradictorium dicitur de infinitate, quoniam infinitas non est ratio 360 formaliter.

**36.** Sed forsitan DICITUR quod hoc est propter terminorum connotationes quas intellectus concipit, CONTRA: circumscripto omni opere intellectus, non minus ita est ex parte rei quod relatio sua ratione non potest non esse, et per consequens est quaedam necessitas; et 365 tamen ipsa non est ex propria ratione infinitas; ergo illud non est per negotiationem intellectus, sed potius ex natura rei.

**37.** Praeterea, beatus clare videns divinam essentiam non se habet active in sic videndo, sed pure passive, secundum multos qui dicunt intellectum et voluntatem se habere passive respectu

beatitudinis formalis. Cum igitur intellectus percipiat Deum esse 370  
 C 78ra sapientem, bonum, iustum et sic de similibus<sup>143,396</sup> aliud a Deo esset attributum, quod non conceditur communiter quoniam lapis non dicitur attributum. Si ergo Deo convenit per modum signi, ergo vel est scriptum, vox vel conceptus, sed quocumque istorum detur sequitur 375 propositum. Probatur, quoniam scriptum subordinatur voci et vox conceptui, et per consequens scriptum et vox subordinantur conceptui, et ita appareat quod perfectiones attributales sunt conceptus.

**38.** Unde ex hoc appareat quod perfectio attributalis, secundum istos, nihil aliud est quam signum divinam essentiam absolute vel connotative significans aut simpliciter negative. Ut cum dicitur intellectus, hic est significatio absoluta; cum dicitur creativus, hic significatio est connotativa; et cum dicitur incorruptibilis, videtur significatio negativa. Et per hoc appareat quod sicut signum est triplex, ita attributum esset triplex, videlicet scriptum, vocale et mentale. Et sic esset triplex attributalis perfectio, videlicet scripta, vocalis et mentalis; quae distinctio non sumitur penes modos significandi sed potius penes rem significantem. 380 385

### <Conclusio 3>

**39.** Tertia conclusio est haec: nulli conceptus attributales sunt synonymi prout existunt divinae substantiae significativi. Haec 390 conclusio sic probatur, et primo de ratione generali synonymitatis, quoniam omnia contraria nata sunt esse circa idem subiectum. Si ergo unum contrariorum non potest esse in aliquo subiecto, sequitur quod nec suum contrarium. Cum igitur aequivocatio et synominatio sunt contraria, quia aequivocatio provenit ex unitate vocis et diversitate 395 conceptus, ut patet per Philosophum in *Praedicamentis*, synominatio vero ex diversitate vocis et unitate conceptus. Et aequivocatio non potest esse . . . . , sequitur quod nec synominatio.

**40.** Praeterea, specialius arguendo arguo sic: nulli termini subordinati secundum superius et inferius, vel connotativi vel negativi, 400 sunt synonymi. Et intelligo istam maiorem sic: signatis duobus terminis vel quibuscumque quae sic se habent quod unus est superior ad alium, vel unus connotet unum et alias aliud negative vel affirmative, tales non sunt synonymi. Sed omnes conceptus attributales sic se habent quod ipsis ad invicem comparatis vel unus 405 est superior ad alterum, ut patet de ipsis intelligens, vivens, existens; vel unus connotat unum et alias aliud, ut patet de ipsis creativum,

---

**143,396** per Philosophum] ARIST., *Categ.*, c. 1 (AL I-1, 5; c. 1; 1a 1-2): Aequivoca dicuntur quorum nomen solum commune est, secundum nomen vero substantiae ratio diversa.

praedestinativum. Vel unus connotat negative unum et alius aliud, ut patet de istis immateriale, infinitum. Ergo tales conceptus non sunt synonymi. Minor istius rationis, quamvis sit exemplifice declarata, tamen apparet ex hoc quoniam conceptus qui omnino significant et adaequate eandem rem, non sint in anima plures. Cum igitur tales conceptus attributales sint plures, sequitur quod habent diversum modum significandi, licet principaliter significant ipsam divinam substantiam; quare propositum.

C 78vb

**<Conclusio 4>**

**41.** Quarta conclusio haec est: omnes termini vocales vel scripti, abstractivi et concretivi, denominationis consimilis conceptibus attributibus subordinati sunt termini synonymi, prout tantum divinam essentiam sunt significantes. Haec conclusio intelligitur: captis istis duobus terminis sapiens, sapientia, prout significant divinam essentiam sunt synonymi, et sic de quibuscumque aliis denominationis consimilis. Haec conclusio taliter intellecta probatur, quia quandocumque aliqui termini sic se habent quod quidquid significatur per unum, significatur per reliquum et e contra, et quidquid similiter connotatur per unum negative vel affirmative, connotatur per reliquum et e contra, sunt synonymi. Sed sic est de istis terminis sapientia, sapiens, bonitas, bonus, prout dicuntur de divina essentia; ergo propositum. Consequentia patet et maior. Sed minor probatur, quoniam quaero: in Deo si sapiens significet vel connotet aliquid quod non significet vel connotet sapientia, vel non. Si non, habetur propositum. Si sic, vel illud est creatum vel increatum. Et quodcumque illorum videtur, aequaliter videtur per utrumque illorum terminorum significari, quoniam nihil videtur ibi quod se habet modum subiecti et accidentis; quare propositum.

**42.** Praeterea, sicut in creaturis se habent isti termini homo et humanitas, animal animalitas, sic in divinis ... bonus et bonitas, sapiens et sapientia ... homo et humanitas, animal animalitas sunt termini synonymi; ergo et in divinis bonus et bonitas. Consequentia patet et maior ex hoc, quoniam sicut in creaturis quilibet homo est humanitas et e contra, ita in divinis quilibet sapiens est sapientia et e contra, quia ibi non videtur similitudo qualis est inter album et albedinem. Sed minor apparet, quoniam nullam rem significat homo quam non significet humanitas in creaturis, quia certum est quod humanitas non significat aliquid accidens et homo subiectum eiusdem nec naturam communem, quia talis est impossibilis; ergo cum nihil significet vel connotetur per unum quod non est alium, sequitur quod sunt vere synonymi; quare propositum.

**<Conclusio 5>**

**43.** Quinta conclusio est haec: omnes perfectiones attributales ab invicem realiter et totaliter sunt distinctae. Haec conclusio sic probatur, quoniam omnia signa, sive vocalia sive scripta sive mentalia, sunt ab invicem realiter distincta; sed perfectiones omnes attributales, ut prius apparuit, sunt signa diversimode significantia deitatem; ergo propositum. 450  
 C 79ra

**44.** Praeterea, ubicumque est multitudo, ibi est realis distinctio; sed inter attributa est multitudo; ergo inter ea est realis distinctio. Consequentia patet et minor communiter est concessa. Sed maior probatur, quoniam omnis distinctio formalis praesupponit realem distinctionem, et omnis realis distinctio est realis vel praesupponit realem distinctionem. Ergo omnis distinctio infert realem distinctionem; sed ubicumque est multitudo, est distinctio; ergo ubicumque est multitudo, est realis distinctio. Maior istius probationis apparet ex hoc quoniam formalis distinctio non videtur aliud quam ubi una res est tres res et quaelibet earum et nulla illarum est alia. Sed nulla talis reperitur nisi in divinis relationibus et divina essentia, et illa praesupponit divinarum relationum distinctionem; ergo propositum. 460  
 465

**<Conclusio 6>**

**45.** Sexta conclusio et finalis est haec: qualis distinctio est rei signatae vel signabilis ad signum proprium, talis est divinae essentiae respectu attributalium rationum. Haec conclusio ex hoc apparet quoniam perfectio attributalis, ut saepe dictum est, est signum divinae substantiae ipsam diversimode significans, et per consequens divina substantia est signum attributalis rationis. Igitur cum unum sit signum et aliud signabile, sequitur quod inter ipsa est distinctio signabilis et signi, quod est propositum. 470  
 475

**46.** Praeterea, quaelibet res taliter ab alia distinguitur, qualiter est, vel ad minus quaecumque distinguuntur qualitercumque sunt ex hoc ... taliter distinguitur quod a Deo ex parte sua propter divinam essentiam, quaelibet ex parte sua ratione negationis inclusae in distinctione necessario non est creatura, sed ratione connotationis, non quia haec non est necessaria ‘Deus differt a creatura’, quia verbum distinctionis connotat existentiam creaturae, et tamen ratione negationis necessario distinguitur a creatura. Et tunc cum attributalis perfectio sit signum et divina essentia signatum, sequitur quod ipsorum distinctio est ut signabilis ad proprium signum. 480  
 485

**47.** Imaginatio ergo istorum in hoc consistit: omnis distinctio est realis vel formalis. Realis est duarum naturarum non-identitas et ambarum ratio. Formalis est tantummodo inter unam rem quae est

- 490 multae et quaelibet earum et nulla illarum est alia. Et ita nulla reperitur formalis distinctio nisi inter divinam essentiam et relationes. Quia igitur termini significantes divinam essentiam ut denotat perfectionem ex modo significandi, non significant divinam essentiam nisi ut rem absolutam.] Ideo eis nulla distinctio correspondet ex natura  
 495 rei, sed praecise significant rem simplicissimam multa alia frequenter connotando. Et ex hoc quod diversa tales termini connotant, non oportet rem simplicissimam suis tunc distinctionibus onerare. Est igitur fundamentum ipsorum quod nec in creaturis nec in divina essentia absolute considerata est aliqua distinctio ex natura rei.  
 500 **48.** Et ad hoc specialiter probandum adducit magister Gregorius de Arimino contra opinionem Doctoris Subtilis septem rationes. Et Ochan adducit unam quam reputat demonstrative concludere contra omnem distinctionem huiusmodi, sive in creaturis sive in divinis, exceptis relationibus tantum, quas decrevi adducere et breviter solvere  
 505 ad consolationem discipulorum Doctoris Subtilis, quia in rei veritate non multum concludunt contra intentionem praefati Doctoris. Arguitur igitur primo sic magister Gregorius: summo, inquit, ipsam deitatem praecise secundum se absque alio quovis ab ea distincto, et quaero: aut ipsa est substantia aut non. Si sic, ergo vel nulla sapientia vel  
 510 sapientiae formalitas est in Deo distincta a deitate, quod est propositum. Vel in Deo sunt plures sapientiae, quod est erroneum, quia sicut non sunt in Trinitate plures essentiae, ita nec plures sapientiae, ut dicit beatus Augustinus, VII *De Trinitate* cap. 4, et idem sententialiter libro V cap. 10; et consequentia patet. Sed quod primum  
 515 sit etiam impossibile appetit quoniam si dicatur non est sapientia et deitas est sapientia .. . sit Christianus vel gentilis neget Deum esse sapientem, sequitur quod Deus non est sua sapientia quod videtur absurdum, quia tunc sapientia intelligeretur esse in Deo vel per modum partis vel per modum inhaerentis.  
 520 **49.** Praeterea, aut formalitas sapientiae, secundum se praecise sumpta, est ipsa sapientia, aut aliquid intrinsecum sapientiae quasi sapientia includat suam formalitatem et aliquid aliud extra, iuxta imaginationem aliquorum distinguentium sapientiam in formalitatem et realitatem tamquam sibi intrinseca; aut talis formalitas est aliquid extrinsecum sapientiae. Ultimum dari non potest, quia contradictio est quod aliquid possit esse sine eo quod est sibi formale, et tamen non est contradictio quod possit esse sine quocumque sibi extrinseco; quare propositum. Si autem detur primum vel secundum, nisi deitas sit illa formalitas sapientiae sive sit realitas sapientiae sive non, sequitur quod  
 525 deitas non est sapientia, quod videtur absurdum.  
 530

---

**513** Augustinus] AUGUST., *De Trin.*, VII, c. 4 ???; eiusdem, V, c. 10 ???

**50.** Praeterea, arguit ipse per rationem Anselmi, *De incarnatione Verbi* cap. 6, qua probat potestatem Dei a Deo non distingui.] Arguitur enim sic: aut potestas Dei est Deo accidentalis, aut substantialis. Non accidentalis, quia tunc Deus posset esse sine potestate quod videtur absurdum. Si ergo substantialis, aut est pars sua essentiae, aut est tota sua essentia. Non pars, quia sic Deus esset compositus et ita dissolubilis, et per consequens per sufficientem inductionem est tota sua essentia, et ita habetur propositum.

C 79va **51.** Praeterea, si detur talis substantialis distinctio, sequitur quod Deus non eo est sapiens quo est Deus, et per consequens nec quo est, sed alio et alio. Patet, quia deitate est et est Deus; sapientia vero seu formalitate sapientiae quae non est deitas, est sapiens. Et si sic, sequitur ulterius quod Deus non est omnino simplex quod est erroneum, ut patet Extra *De summa Trinitate et fide catholica* 535

'Firmiter', et capitulo sequenti. Et consequentia patet per Augustinum, VII *De Trinitate* cap. 1 in fine, ubi directe hanc conclusionem ex intentione probat sic dicens: "Si Patri non est hoc esse quod sapere, non ibi erat iam summa simplicitas." Et mox destruit consequens: "Sed absit ut ita sit, quia ibi est vere summe simplex essentia." Et ex hoc statim, nullo interposito, infert oppositum antecedentis, scilicet 540 "hoc igitur ibi est esse quod sapere;" et per consequens propositum.

**52.** Praeterea, data tali distinctione formalis sequeretur quod aliquid de Deo dictum ad se sive non relative, significaret aliquid quod ipsa deitas in se haberet et illud ipsa non esset. Sed consequens est falsum, ergo et antecedens. Falsitas consequentis patet per beatum Augustinum, XI *De civitate Dei* cap. 10: "In quo, inquit, ergo ad semetipsum dicitur non ad alterum, hoc est quod habet." Sed consequentia probatur, quoniam sapiens dicitur de Deo ad se et significat Dei sapientiam seu sapientiae formalitatem, quia Deus sapiens est; hanc autem formalitatem deitas habet, et secundum 545 hypothesis non est ipsa; ergo propositum..

**53.** Praeterea, si haec entitas, demonstrata deitate secundum se praecise sumpta, non est sapientia seu formalitas sapientiae, sequitur

---

531 Anselmi] ANSELMI, *De incarnatione Verbi*, c. 6 (ed. F. SCHMITT, ???; PL ???). 540  
 Deus<sup>1</sup>...Deus<sup>2</sup>] Cf. AUGUST., *De Trin.*, VII, c. 1, n. 2 (CCL 50, 249; PL 42, 935). 544  
 Extra] *Decretales Gregorii IX*, I, tit. 1, c. 1 (ed. A. FRIEDBERG, II, 6). 545 Augustinum]  
 AUGUST., *De Trin.*, VII, c. 1 (CCL 50, 249; PL 42, 936): Si et Pater qui genuit sapientiam ex ea fit sapiens neque hoc est illi esse quod sapere, qualitas eius est Filius non proles eius, et non ibi erit iam summa simplicitas. Sed absit ut ita sit, quia vere ibi est summe simplex essentia; hoc ergo est ibi esse quod sapere. 556 Augustinum] AUGUST., *De civ. Dei*, XI, c. 10 (CCL 48, 330; CSEL 40-1, 526; PL 41 325): In quo ergo ad semet ipsum dicitur, non ad alterum, hoc est quod habet.

quod haec entitas seu sapientiae formalitas est creatura, et per  
 565 consequens aliqua creatura est in Deo et sibi coaeterna, quod est falsissimum et erroneum. Sed consequentia probatur, quia omnis entitas quae divinitas non est, creatura est, ut <patet> per Augustinum, I *De Trinitate* cap. 6, ubi volens probare Filium Dei esse verum Deum arguit sic: “Si factus non est, creatura non est; si autem creatura non  
 570 est eiusdem cum Patre substantiae est,” omnis autem substantia quae De sapientiae formalitas deitas non est, sequitur quod creatura est, quod est nimis absurdum..

**54.** Septimo et ultimo arguit contra Doctorem Subtilem ex dictis propriis. Unde in *Lectura Parisiensi* libro I distinctione 35 quaestione  
 575 1<sup>a</sup> articulo 4<sup>o</sup>, dicit expresse quod vita intellectualis seu intellectualitas est de per se quiditativa et formali ratione divinae essentiae. Et probat per hoc, quia quod potest esse idem alicui non est perfectissime in illo nisi sit de ratione quiditativa et sic intrinsece sibi idem. Intellectualitas autem perfectissime Deo convenit, ergo intellectualitas, secundum  
 580 eum, non est formaliter distincta a divina essentia, et per consequens eadem ratione nullum aliorum. Contra eandem conclusionem arguit Ochan unico medio sic: ubicumque est aliqua distinctio vel non-identitas, ibi possunt aliqua contradictoria de eisdem verificari; sed impossibile est contradictoria verificari de quibuscumque, nisi illa  
 585 vel illa pro quibus supponunt sint distinctae res vel distinctae rationes sive etiam rationis vel res et ratio. Sed si omnia illa sunt ex natura rei non sunt distinctae rationes nec res et ratio, igitur erunt distinctae res. Maior declaratur, quia si *a* et *b* non sunt idem omnibus modis, tunc sunt istae ambae verae: *a* est idem *a* omnibus modis, et *b* non est idem  
 590 *a* omnibus modis, ita quod esse idem a omnibus modis et non esse idem *a* omnibus modis verificantur de *a* et *b*, sicut etiam ipsi concedunt quod sapientia divina est formaliter sapientia divina, et bonitas divina non est formaliter sapientia divina, ita quod esse formaliter sapientiam divinam vere affirmatur de sapientia divina et

C 79vb

---

**567** Augustinum] AUGUST., *De Trin.*, I, c. 6 (CCL 50, ???; PL 42, ???): Et si factus non est, creatura non est, si autem creatura non est, eiusdem cum Patre substantiae est. Omnis enim substantia quae Deus non est creatura est.   **574** Lectura Parisiensi] IOANNIS DUNS SCOTI, *Reportatio I-A*, d. 35, q. 1, a. 4, n. 57 (ed. A. WOLTER-O. BYCHKOV (St. Bonaventure U.-FIP 2008, p. 368): Dico tamen, secundum primum modum, quod intellectualitas vel esse intellectivum est de formali ratione et quiditativa essentiae divinae.   **576** Et probat] IOANNIS DUNS SCOTI, *Reportatio I-A*, d. 35, q. 1, a. 4, n. 60 (ed. A. WOLTER-O. BYCHKOV (St. Bonaventure U.-FIP 2008, p. 368): Quod potest esse idem alicui, non est perfectissime in illo nisi sit de ratione eius quiditativa, et sic intrinsece sibi idem   **581** arguit Ochan] Cf. GUIL. OCKHAM, *Scriptum in I Sent.*, d. 2, q. 1, ed. S. BROWN-G. GÁL (OTh II, 17-20).

negatur ab unitate divina. Et ita universaliter ubicumque est aliqua 595  
 distinctio vel non-identitas ... aliquod vere affirmari de uno et vere  
 negari de reliquo. Sed minor probatur, quia omnia contradictoria  
 habent aequalem repugnantiam inter se. Sed ex aliquibus  
 contradictoriis contingit inferre quod illa de quibus verificantur sunt  
 distinctae res vel distinctae rationes vel res et ratio. Ergo universaliter 600  
 numquam idem vere affirmatur et vere negatur nisi propter  
 distinctionem rerum vel rationum vel rei et rationis. Si igitur de  
 attributis verificantur contradictoria, cum ipsa non sit res et ratio nec  
 rationes, sequitur quod erunt distinctae res, quod videtur absurdum.

**<Contra rationes Gregorii de Arimino et Ockham>** 605

**55.** Ad istas igitur rationes respondeo. Et primo ad rationes  
 magistri Gregorii cum primo arguit: signo divinam essentiam praecise  
 secundum se et sapientiam similiter, et quaero vel divina essentia est  
 sapientia divina vel non, hic dico breviter pro materia argumenti quod  
 stat aliquid esse de formalis ratione alicuius, et tamen non solum ab eo 610  
 distingui formaliter sed etiam realiter. Nam anima intellectiva est de  
 formalis ratione alicuius hominis, et tamen ipsa realiter distinguitur ab  
 homine.] Similiter cuiuslibet compositi ex materia et forma, materia  
 est de formalis ratione illius, et tamen materia est realiter distincta ab  
 eo. Sic in proposito dico quia ratio deitatis est ratio in quam unitive 615  
 concurrunt omnes denominations perfectionum simpliciter. Ideo  
 quaelibet earum est de formalis ratione divinae essentiae quamvis sit ab  
 ea formaliter distincta. Quando ergo quaerit: vel divina essentia est  
 sapientia vel non, dico si capit formaliter non, si realiter sic. Et tunc  
 ultra: si divina essentia non est sapientia, sumendo terminos 620  
 formaliter, ergo se habent per modum partis vel accidentis, negatur  
 consequentia, quoniam divina essentia non est formaliter relatio, et  
 tamen relatio nec se habet per modum partis nec accidentis. Et ratio  
 est quia transit in identitatem realem divinae essentiae, sua formalitate  
 retenta. Et ita est de perfectionibus attributis respectu divinae 625  
 essentiae; propterea in rei veritate ratio parum movet.

**56.** Ad secundum per idem cum quaerit: aut formalitas  
 sapientiae est ipsa sapientia aut aliquid intrinsecum sapientiae vel  
 aliquid extrinsecum, dico breviter pro materia argumenti quod  
 sapientia secundum rationem propriam est quaedam formalitas cuius  
 realitas est ipsa divina essentia, et est de intrinseca ratione divinae 630  
 essentiae, ita quod contradictionem includit divinam essentiam non  
 essentiam esse et sapientiam non esse. Et tunc cum dicitur nisi deitas

---

632 divinam] esse esse add. sed del. C

---

606 ad rationes] Cf. supra n. 48. 627 Ad secundum] Cf. supra n. 49.

635 sit illa formalitas sapientiae, numquam divinitas erit sapientia, dico quod deitas est illa formalitas sapientiae sed non oportet quod formaliter, ut iste doctor arguit, acsi daretur sibi quod alia res sit formalitas a realitate, quod falsum est. Et ideo in rei veritate non habet intentionem doctoris contra quem arguit, vel hoc fecit pro exercitio minorum(?); et ideo ratio parum concludit.

640 **57.** Ad tertium cum arguitur per rationem Anselmi: aut potestas Dei est Deo accidentalis aut substantialis, dico breviter quod substantialis. Et tunc ultra: si substantialis aut est pars suae essentiae aut tota, breviter concedo quod quaelibet ratio attributalis est perfectissime tota divina essentia, cum hoc tamen stat formalis distinctio. Sicut nunc de facto relatio divina non est pars divinae essentiae sed est perfectissime tota, et tamen etiam secundum magistrum istius doctoris, Ochan videlicet, adhuc ibi est formalis distinctio. Ista igitur distinctio non impedit quin unum sit perfectissime aliud. Propterea imaginatio deficit: credit namque distinctionem formalem dirimere aliquid a perfecta participatione totius.

645 **58.** Ad quartum cum dicitur quod data positione, sequitur quod Deus non eo est sapiens quo est Deus, hic dico quod ille ablativus potest construi duplice quantum ad propositum spectat: vel in habitudine denominationis formalis, vel in habitudine denominationis realis. Dicitur ergo, secundum imaginationem istius doctoris, quod si primo modo construatur, verum est, quia alia formalitate dicitur sapiens, alia Deus. Nam formalitas qua dicitur Deus est illa in quam concurrunt omnes denominations perfectionum simpliciter unitivae; 650 et formalitates qua dicitur sapiens non, aliter quicumque esset sapiens, esset universaliter perfectus, quod falsum est. Si ergo capit realiter, verum est quod eo est Deus quo est sapiens et haec est mens beati Augustini, ut appareat in eodem libro in quo allegat eum iste doctor, videlicet VII *De Trinitate* cap. 1 in fine. Et quod ista sit intentio sua 655 apparent ibidem in fine capituli rectae ubi sic dicit: "Et quia in illa simplicitate non est aliud sapere quam esse eadem ibi sapientia quam essentia." Ex quibus appareat quod loquitur ibi Augustinus de distinctione reali, et ideo retorquet sensum auctoritatis; quare propositum.

660 **59.** Ad quintum cum dicitur quod data ista positione sequitur quod aliquid de Deo dictum ad se sive non-relative significaret aliquid

C 80rb

**640** Ad tertium] Cf. supra n. 50      **652** Ad quartum] Cf. supra n. 51.      **665** sic dicit]

AUGUST., *De Trin.*, VII, c. 1 (CCL 50, ???; PL 42, ???): Et quia in illa simplicitate non est aliud sapere quam esse, eadem ibi sapientia quae essentia.    **670** Ad quintum] Cf. supra n. 52.

quod ipsa divinitas in se haberet et illud ipsa non esset, hic dico breviter quia logicaliter arguit, logicaliter respondeo: vel capit ‘habere’ aliquo modorum ab Aristotele positorum, vel non. Si primo modo, sic nihil quod est Deus dicitur ipse habere, quia nec accidentis 675 nec partem et sic de aliis modis discurrendo, nec ... qui est modus ... . Si ergo intelligat pro habere quod sit illud, manifestam assumit contradictionem, quod aliquid habet deitas quod non est deitas, quia tunc tantum valet acsi diceretur aliquid est deitas quod non est deitas. Si vero intelligat sic quod aliquid est realiter deitas quod non est 680 formaliter deitas, istud bene sibi concederetur secundum viam istius doctoris. Sed ex hoc aliquid arguere esset petitio principii cum illud sit fundamentum positionis.

**60.** Ad sextum cum dicitur quod si sapientia sic sumpta formaliter non est deitas, sequitur quod est creatura, hic dico breviter quod consequentia nihil valet. Et ratio est, licet sapientia non sit formaliter deitas, tamen est realiter et perfectissime ipsa. Et ideo non sequitur quod ipsa sit creatura, sicut nunc de facto omnes concedunt quod relatio divina non est formaliter deitas, et tamen ex hoc non sequitur quod sit creatura. Nec auctoritas adducta est ad propositum, 685 quia auctoritas dicit quod omne quod est et non est Deus est creatura. C 80va Et hoc concedo. Sed ex hoc non sequitur<sup>695</sup> concedit ipsum non esse deitatem, licet concedatur quod ipsa non est formaliter deitas. Sed ex hoc non sequitur quod sapientia divina sit creatura, ergo ipsa non est deitas. Sed est fallacia consequentis, arguitur enim ibi ab inferiori ad superius negatione praeposita, qui modus arguendi nihil valet. Si autem imaginatur formalitatem, ut videtur dicere per modum cuiusdam quiditatis a realitate divinae essentiae distinctae, false imaginatur; nec habet rectam opinionem formalitatum, quoniam infinitarum formalitatum est unica realitas, ut in praecedenti lectione fuit declaratum; et sic appareat quod ratio parum concludit. 690

**61.** Ad septimum cum arguit ex dictis doctoris contra eum quia videtur dicere quod intellectualitas est de quiditativa ratione divinae essentiae, hic dico quod in rei veritate si iste doctor bene advertisset istam responsionem non fecisset praecedentia argumenta. Nam, ut prius dictum est, stat aliquid esse de formali et quiditativa ratione alicuius, et tamen illud realiter distingui ab eo, ut patet de anima intellectiva respectu hominis. Unde ad satisfaciendum sibi realiter, 700

---

**695** ibi] a superiori *add. sed del. C*

**674** ab Aristotele] Cf. ARIST., *Categ.*, c. 15 (AL I-1, 40-41; c. 15; 15b 17-32); eiusdem, *Metaph.*, V, c. 23 (AL XXV-3, 118; Δ, c. 23; 1023a 8-25). **684** Ad sextum] Cf. supra n. 53. **702** Ad septimum] Cf. supra n. 54.

dico quod distingui formaliter est duobus modis. Primo modo  
 710 quoniam in ratione quidativa unius non cadit aliud nec e converso. Et isto modo dicitur sapientia distingui a bonitate, quia in quidativa rationis unius bonitatis non cadit sapientia nec e contra. Et isto modo non dicuntur distingui essentia et sapientia vel quaecumque alia perfectio attributalis, quia in ratione deitatis intelligitur quaelibet  
 715 denominatio perfectionis simpliciter. Alio modo dicitur aliquid ab alio distingui formaliter, quando ratio unius non est adaequativa alterius, ut verbi gratia ratio animalitatis et humanitatis dicuntur isto modo secundum viam istius doctoris, quia ratio humanitatis non adaequat ratione animalitatis, quoniam quidquid significat humanitas significat  
 720 animalitas, sed non e contra. Et isto modo est inter deitatem et divinam sapientiam, quia licet sapientia cadat in ratione deitatis, non tamen adaequative, quia non includit formaliter rationem bonitatis, et sic de aliis.

**62.** Et sic Doctor Subtilis diversimode loquitur de esse idem  
 725 formaliter et distingui; et iste doctor, videlicet magister Gregorius, semper capit uno modo, et ideo in rei veritate non habet mentem doctoris, et sic in nullo arguit contra eum. Hoc autem communiter provenit quando unus doctor non est alteri familiaris in doctrina; et sic  
 appareat quid est dicendum ad rationes praemissas.

**63.** Ad rationem vero Ochan cum<sup>730</sup> arguit quod ubicumque est aliqua distinctio vel non-identitas, ibi possunt contradictoria verificari, concedo. Et cum dicitur quod impossibile est contradictoria de quibuscumque verificari nisi illa sit res vel rationes vel res et ratio, concedo similiter istud. Et cum dicitur quod si attributa sint ex natura  
 735 rei, sequitur quod non sunt rationes nec res et ratio et per consequens sunt res, hic respondeo negando quod non sint rationes, et ratio <est> quia licet non sint rationes per intellectum fabricatae, sunt tamen rationes formales unius rei. Unde ex hoc quod video Sortem et iudico ipsum esse hominem et similiter animal, et sic de aliis rationibus,  
 740 intellectus meus non facit istam rationem in Sorte, sed ipsam invenit in obiecto et similiter aliam, et ideo intellectus per actum suum collativum nihil ponit in re sed potius recipit similitudines diversarum rationum obiective moventium intellectum. Non ergo sequitur non sunt rationes per intellectum fabricatae, ergo non sunt rationes. Unde  
 745 dico quod sunt rationes ex natura rei distinctae quae quaelibet est res et omnes non sunt plures realitates, sed una realitas.

C 80vb

**64.** Et sic appetit quod qui vult tenere opinionem Doctoris Subtilis, respondebit ad articulum affirmative. Qui vero vult opinionem Ochan, respondeat negative. Et electionem vestris

---

730 Ad...Ochan] Cf. supra n. 54.

discretionibus derelinquo. Satis mihi fore arbitror cum in fluctibus 750  
deferor cum qualicumque navicula et mare naufragium pertransire. Et  
sic finitur tertius articulus istius quaestio[n]is.

**<Ad argumenta principalia>**

**65.** Ad rationes igitur factas in principio quaestio[n]is respondeo. 755  
Ad primam cum dicitur: si divinae simplicitati esset compossibilis  
aliqua distinctarum rationum realium multitudo, hoc maxime videretur  
de personarum pluralitate, concedo. Et cum dicitur quod non per hoc  
quod in divinis esset aliqua mutatio cum generatio dicat formaliter  
mutationem, ut patet per Philosophum in *Postpraedicamentis*, hic dico  
quod generatio in creaturis duo dicit, videlicet mutationem et 760  
productionem. Mutatio provenit ex imperfectione agentis, sed  
productio est necessaria ratione termini producti, et haec condicio non  
dicit imperfectionem. Quia igitur nihil in divinis potest esse  
imperfectum, abicimus omne quod est imperfectionis, reservando  
quod perfectionis est. Et ideo generatio in divinis est productio sine 765  
mutatione; et sic appetet ad argumentum.

**66.** Ad secundum cum dicitur quod omnis multitudo realium 770  
rationum arguit distinctionem, concedo. Et cum dicitur quod realis  
distinctio repugnat simplicitati, hoc ego nego. Nam, ut dictum[<sup>1</sup>] est in  
lectione praecedenti, sola compositionis et compossibilis ratio  
repugnat simplicitati, et non pluralitas vel distinctio, ut fuit etiam ibi  
declaratum.

**67.** Ad tertium cum quaeritur si multitudo realium rationum est 775  
compossibilis divinae simplicitati, aut essentialium aut notionalium,  
dico, secundum opinionem Doctoris Subtilis, utraque est multitudo  
compossibilis. Secundum vero opinionem Ochan, licet sit  
compossibilis multitudo realium rationum relativarum, tamen nulla  
alia est ibi compossibilis. Et cum dicitur quod si ponatur talis  
multitudo ex natura rei quod tunc distinguuntur in illa multitudine  
contenta formaliter, et ex hoc non sequitur quod realiter, nisi velletis  
capere ‘realiter’ prout distinguitur contra illud quod provenit ex opere  
intellectus. Sic igitur appetet quod simplicitati divinae non repugnat  
qualicumque distinctarum rationum realium multitudo. Et sic per  
consequens huius quartae quaestio[n]is consideratio terminatur, et 780  
gratias Deo omnium conditori. Amen. 785

---

755 Ad primam] Cf. PETRI DE CANDIA, *Lectura in I Sent.*, Q. 1, A. 1, n. 1. 767 Ad  
secundum] Cf. PETRI DE CANDIA, *Lectura in I Sent.*, Q. 1, A. 1, n. 2. 773 Ad tertium] Cf.  
PETRI DE CANDIA, *Lectura in I Sent.*, Q. 1, A. 1, n. 3.